3

DISPUTATIO CHIRURGICA

DE

LÆSIONE PARTIS CERVICIS ANTERIORIS.

Jacobo Cowan, Auctore.



PROŒMIUM.

Ardente studio summum medicinæ honorem in hac academia alma et augusta attingendi incitatus, et amicis in hac eadem arte aliquot exitus observationum communicandi, quas feci, dum officio meo in nosocomio navali in

[1816]

insula Minorca fungerer; quædam singularia de casu insigni perscribam ut mihi se ostenderunt, et pariter conclusiones ex iis deductas, quæ mihi plurima facta haud exigui momenti indicare videntur, quæ, ut spero, non omnino inutilia erunt, et quæ attentionem præclarorum professorum hujusce academiæ venerabilis forsan merebuntur.

Primo, Ostendere conabor cavitates laryngis et pharyngis late dividi posse, corruptis penitus functionibus;

Secundo, Ægrum supervivere posse et ad ultimum sine injuria partium læsarum permanente, revalescere;

Tertio, Ægrum admodum diu sustineri posse, fluidis nutrimentum præbentibus aliqua arte mechanica in ventriculum injectis;

Quarto, Sitim fere penitus relevari posse usu enematum acidulorum ter quaterve indies iteratorum;

Postremo, Suturas summe injuriosas in curatione hujus inventas esse, et positionem solam utilem esse.

HISTORIA.

Quum sic leviter attigerim conclusiones ex hoc casu deductas, ad has confirmandas historiam et progressum narrare nunc conabor.

Vultus ægri in nosocomium admissi impatientiam, horrorem et afflictionem denotabat; æger ipse valde inquietus erat, et nihil fieri volebat quod curationem efficeret.

Facies pallida, cutis constricta, labia livida, et extremitates plus æquo frigidæ erant.

Magnum vulnus incisum erat ad partem cervicis superiorem et anteriorem, fere quatuor pollices in longitudine, in spatio inter os hyoideum et cartilaginem thyroideam, ab uno angulo maxillæ inferioris usque ad alterum extensum.

Integumenta incisa nunc levata erant, et vulnus internum investigatum, quod aspectum valde formidabilem ostendebat; separatio ossis a cartilagine ad partes eorum anteriores et laterales vulnus efficiens, admodum profundum, et inequale, omnino facta est; in quo videri poterant haud magna attentione, fere tota ossis hyoidei pars inferior et cartilaginis thyrodeæ superior, et pariter haud parvum spatium cavitatis laryngis, ubi quoque quantitas muci spumosi, singula respiratione ejecta

et inhalata videri poterat; aderat vulneri quoque, tussis dura, fere convulsiva, cum respirationis difficultate suffocationem fere appropinquante, vi deglutitionis omnino corrupta tam via ad ventriculam obstructa, quam sensu suffocationis intolerabili, ab introitu liquidorum in laryngem facto, ut clare demonstratum fuit ægro quantitatem liquidi hauriente, quæ statim pleno rivo perfluebat, valde indicans late divisam esse pharyngem ad partem anteriorem et dextram lateralem.

Quum hoc modo conatus sum probare narratione exempli supradicti, cujus observandi mihi opportunitas una cum amicis meis Doct. Burnett, Brunton, et Domino Boyd, oblata est, cavitatem laryngis nec non et pharyngis late divisam esse, omnino corruptis functionibus sine afferendo ægro mortem; quærendum est deinde quomodo consumptioni corporis perpetuæ succurrere et sitim nostri infelicis

ægri relevare possimus, quoniam omnis deglutitio destructa sit, et via naturalis ad ventriculum impedita.

Prius horum (si recte judico) res pro cibo designatas in ventriculum aliqua arte mechanica transmittendo, solum effici potest; et mea sententia, catheter factus de gummi elastico invenietur instrumentum esse expeditissimum et usui huic, facilime accommodatum, quia ob lævitatem ejus et tenuitatem possit introduci in œsophagum, et illic diu permanere, si chirurgo placeat, paulo aut nullo incommodo ægro inde allato; et loculo elastico, vesica aut siphone (si inter tactum fuerint) ad catheterem adaptato, instrumentum introduci et ad arbitrium removeri, et sic æger ultima facilitate foveri potest.

Sed si neque loculus, nec sipho, nec vesica, comparari possit (ut in exemplo supradicto

accidit) possumus semper ut ultimum refugium, in os nostrum quantitatem lactis inducere, et in ventriculum ægri per catheterem impellere, aut nutricem sic facere jubere, donec aptus apparatus comparari possit. Hoc primum facere inductus fui quia æger post jejunium quadraginta horarum de sensu rosionis in regione ventriculi questus est, et etiam ob monitionem amici mei Doctoris *Brunton*, huic rosioni, elasticum catheterem introducendo, et lac ore meo in ventriculum ægri impellendo, subveniri potuisset.

Hoc ideo factum et quantitas in stomachum injecta est, cum magna allevatione ægri, et mea haud parva satisfactione.

Hoc tamen inventum erat valde incommodum, sed ad vesperem, parvulum siphonem comparavi, et ad catheterem adjunxi, et in hoc modo alebam ægrum meum donec vulnera

cavitatum omnino sanata fuerint, et viæ naturali facultas peragendi functiones restituta fuerit.

Hac prima parte consilii mei effecta; mihi visum est, lac pro cibo datum ad levandam sitim ægri non sufficere, et quum usus admodum frequens catheteris fuisset magna causa irritationis; alterum modum sitim levandi conari necesse fuit, quod (vix opus est dicere), usu enematum potus acidi citrici, ter quaterve indies injectorum effectum est.

Quum hæc necessario, irritationem recto afferunt, primo et secundo die plerumque rejiciuntur et idcirca inefficacia existunt; tamen si duos vel tres dies in iis constanter perseveremus, demum, cum magna satisfactione, inveniemus intestinum enemata sine difficultate retinere; absorptio fit, et æger de siti queri desinit.

In hoc modo ægri, de quo nunc scribo, sitis fere omnino sex hebdomadis prævertebatur, quamvis in administratione prima, totum enema (ut supra memoravi) rejectum est, et igitur inutile extitit, et quamvis ter primo itidemque, secundo die, pari effectu adhibebatur. Administratione tamen enematis secundi, in tertio die, parva tantum quantitas liquidi rejecta est, et totum enema vespere adhibitum, æger retinuit; ita rectum liquido paulatim assuefactum est, et omnia enemata post adhibita pleno effectu retenta sunt.

Neque fuit conditio intestinorum dum hæc enemata adhiberentur (in hoc exemplo) minime admiranda; vix enim incipiebat intestinum se assuefacere iis, quum evacuationes per anum evaserunt regulares, et ita permanebant donec curatio omnino peracta fuerit.

DE CURATIONE VULNERIS.

Quum curatio talium vulnerum tenendo partes in positione quam maxime naturali, solummodo effici potest; sæpe inutile erit aliquid facere donec quodammodo, ægri animus tranquillatus fuerit; præcipue si injuria a conatu inefficaci mortem sibi consciscendi, effecta sit.

Varii modi partes conjungendi et in situ retinendi variis temporibus, in se converterunt animos chirurgorum, quamvis (si bene reminiscor) omnes nisi ii quibus margines vulneris retentæ sunt in situ, ex usu deciderunt, quoniam plures ex iis inutiles, et haud pauci injuriosi extiterunt; utraque quorum argumentorum clare in hoc exemplo demonstrabantur.

Hic æger tam valde inquietus fuit, ut ei ullum proferre auxilium primo die omnino impossibile esset, quum omnes conatus positionem stabiliendi statim frustra erant; ægro caput jactante, quasi consilium cepisset curationem, impediendi vulneris; postridie, tamen mane, vitæ magis conciliatus videbatur, et aliquanto cupidior ut ad curationem efficiendam aliquid sibi fieret.

Vulnus nunc investigabatur, cujus aspectus propitius erat, inflammatio mediocris erat, paululum lymphæ in superficiem vulneris ejectum, et æger libere respirabat; nunc commodum videbatur (ob magnitudinem vulneris), applicare suturas inter partes laterales ossis hyoidei et cartilaginis thyroideæ, et in hoc modo partes divisas inter se conjungere. Hoc ideo factum erat, et quoque partes capite flectendo in directum, et constringendis ligaturis inter se conjungebantur; hoc facto, vulnus

emplastro unguenti cerei tegebatur, et æger deinde in positione corporis incumbente ponebatur, capite in directum inclinato, et in eo situ retento, pileo nocturno arcte capiti adaptando, cujus utrique lateri, duo lintei frustula affigebantur, ita, ut unum proxime supra angulum oculi externum, et alterum poné aurem esset; hæc arcte adducebantur dum caput proclive esset, et cingulæ ejusdem materiei prius circum corpus accommodatæ, affigebantur. Æger nunc pulvinis sustentatus, caput movere rigide prohibitus est, et tantum os frequenter portione mali citrici madefacere, nullum autem conatum hauriendi facere jussus est.

Hac ratione curatione vulneri adhibita, æger per tempus pomeridianum penitus quietus erat; vesperem autem versus, aliquanto inquietior extitit, pulsu paulo celeriore, et cute calida. In eodem fere statu usque ad noctem

mediam restitit, quum inquietudo magnopere aucta est, et æger cum magna difficultate respirabat. In hac conditione, cum aliqua aggravatione, remansit ad meridiem proximum, quo tempore, vultus maximam anxietatem, impatientiam et horrorem indicabat, facies penitus suffusa, oculi prominentes, et languor multus aderat.

Difficultas respirandi quidem miseratione digna, omni respiratione nisum violentem exigente, cum periculo manifesto suffocationis instantis, quam sonus cynanchi tracheali ad amussim similis comitatus est.

Pulsus circiter centum erat, maxime tenuis, et durus. Temperatura compluribus gradibus supra naturalem, valde urgens sitis, appetitus nullus, et piger venter.

Hæc mutatio in pejus facta, suturis pridie

adhibitis attribuebatur, quæ igitur removebantur; parum autem aut nullum omnino subsidium afferebatur; circiter horam post, sanguinem usque ad uncias quadraginta emisi, et ut solutionem salium neutralium in stomachum injicerem, catheterem elasticum introducere conatus sum, sed ob violentes contractiones partis superioris pharyngis et faucium effectas, simul ac instrumentum in tactum harum patium venit, fieri non potuit; tamen non multo amplius una hora post sanguinis emissionem, visceribus laxatis, æger relevari visus est, et usque ad vesperem revalescere non intermisit; quo tempore, symptomata magnam aggravationem subire visa sunt.

Pulsus maxime celer, et multo plenior quam post primum impetum factus est; temperatura circiter centum, et cutis arida, aspectus vultus, nec non et respiratio, multum terrebant; æger loqui nequibat, et quum loqui

conaretur, tantum sonus asthmaticus auditus est.

Sanguis iterum emissus est, et deinde haud parvum levamen brevi secutum est; et postridie mane fere omnino a difficultate respirandi liber fuit, vultus dolorem minus indicabat, et catheter cum magna facilitate introduci poterat.

Domita ita inflammatione quæ, haud dubito quin magna ex parte a suturis effecta fuerit, penicillus ex unguento cereo accommodabatur vulneri, tantum, jam a positione capitis (ut memoravi supra) clauso, ornatio indies removebatur, sed vulnus internum raro investigabatur; lac ad statum systematis exigebatur, et enemata acidula quotidie administrabantur in spatium sex hebdomadarum; quo tempore vulnus externum clausum est, et conatu hauriendi facto, liquor in stomachum cum admodum parvo incommodo defluxit.

In breve tempus aliqua solidum cibum hauriendi difficultas extitit; hæc autem cito abiit, et æger valetudine perfecta, ad pristinam artem reversus est.

Sic conatus singulatim quæ præcedunt narrare, et ostendere multum posse fieri ad sustinendos, relevandos, et ad postremum sanandos ægros, etiam quum observatoribus negligentibus desperati esse videantur; pauca nunc disseram de morbis quæ sæpissime occurrunt, in quibus eandem rationem medendi æquo commodo iniri posse existimo; ingentem enim horum numerum, medicis quotidie offerri mihi persuasum est.

Ob numerum ægrorum infelicium, qui nobis quotidie ostenduntur, lue venerea laborantium,

et ob consequentem Hydrargyri usum, ptyalisma violens, et misere exulceratum os, etiam sub curatione prudentissima nimis sæpe occurrunt, quæ quamvis facultatem comedendi non corrumpant, dolor tamen violens et irritatio, quæ aliquid in os acceptum efficit, ægrum magnopere obstinatum et a cibo aversum reddunt, adeo ut pereundi jejunio periculum interdum adeat: quæ res nosci nunquam debet, quia adhibitis artibus supra memoratis, pars major doloris et irritationis penitus evitari potest, quum parum aut nulla fluidorum pars in tactum partium affectarum veniat. Illas universé adhibere debere mihi penitus persuasum est; quum æger convenienter nutriri, et sitis levari, cum magna dolorum levatione, prudente harum administratione possit.

Nec harum usum illis casibus solum, in quibus cibus tantum et potus exiguntur, contineri oportet; mea enim sententia gradus

sunt plurimorum nostrorum morborum, quibus multum prodesse possunt, facilem præbendo modum administrandi medicinam, et præsertim his quibus æger infelix omnes et mentis et corporis facultates perdidit.

De utilitate harum in gradibus morbi posterioribus; non rarum est videre et multo minus audire ægros vel negligentia præscribendi vel stimulantia præscripta administrandi, in statum insensilem labantes, in quo nimis sæpe ab ignavo medico deserantur, qui ægrum inducere non potest, ut remedia hauriat. Hoc gradu mihi persuasum est, multum a gravi et benigno medico fieri posse: quum enim in ultimo discrimine etiam spes est, tubi elastici introductionem magnopere suaderem, et injectis quibusdam remediis strenuis tentarem, si nihil amplius fieri posset; servando enim vitam socii in vita pretiosam certe (ut verbis Ciceronis utar) homines ad deos pro-

pius accedunt, quam ulla alia re; et quum semel, et amplius, eventibus anxiæ perseverentiæ per brevem cursum meum in re medica studiorum, etiam longe ultra fidem, attonitus fuerim, neminem ultra auxilium functionibus etiám imperfecté agentibus existimarem.

Hoc consilium magni momenti inveniri potest in curatione illius funestissimi omnium morborum Hydrophobiæ, in qua persuasum est adhiberi posse sine ullo chirurgi periculo, introducta quavis re dura inter dentes et ibi per adjutorem retenta, manu quoque chirurgi, a manica ex corio densa bene tecta; hac ratione quidquid velimus, in stomachum, injici, et casus revalescendi ægro infelici præberi potest.

In exemplis etiam severis læsionis capitis, manifestum esse oportet, hanc remedia administrandi rationem non minus utilem inven-

tum iri; ubi ob statum ægri nihil in stomachum introduci potest, ut viscera probe evacuentur, cui rei maxima cura adhibenda est, et præterea quum multa alia remedia exigi et sæpe utilia inveniri possint, administrationi haudquaquam objici potest.

Eodem modo in multis aliis morbis ut apoplexia, aut paralysi a quavis causa oriente administrari potest, et quoque in mania, &c. secundum consilium medici.

Sed ne sim molestus in re, medico solerti bene nota, commendato tentamine imperfecto amicorum juvenum attentioni, finem jam faciam.

FINIS.